

Johann Mantzel

**Programma, Quo Rector Academiae Rostochiensis, M. Johannes Mantzel ...
Funus, Quod ... filio, Ernesto Friderico Döbelio, Parentes moestissimi hodie in
templo Mariano paraturi sunt, indicit, & ad eundum Exequias Cives Academicos
... invitat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus d. 9. Aprilis A.O.R. CI IC LXXIIX.]**

Rostochii: Keilenbergius, [1678]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777438968>

Druck Freier  Zugang



Mantzel, J.,
in
E. F. Döbel.

Rost. 1678.

57a

PROGRAMMA,
QVO
RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
M. JOHANNES

Mantzel /

Gr. Lit. P. P. & Fac. Philo.
DECANUS,

Funus,
QVOD



Optimæ spei, nunc desideratissimo filio,

ERNESTO FRIDE-
RICO DÖBELIO,

Parentes mœstissimi

hodie in templo Mariano paraturi sunt,
indicit,

& ad eundem Exeqvias

Cives Academicos

omnium ordinum

sedulò atq; peramanter invitat.

ROSTOCHII, Typis FRIDERICI KELLENBERGII, Acad. Typ.



Ratissima pariter, tristissimâq;
est hominis, fugacissimæq; ejusdem vitæ
cum Flore, quâ & Sacra Scriptura, & Pro-
fani Scriptores alii certatim utuntur, cō-
paratio. Târn grata etenim est, quâm flores ipsi grati
sunt; tamq; tristis est, quâm, hominem floris instar
marcescere, triste est. Hujus, hoc ipso Verno tempore,
cûm alius post alium flores ex terra proveniunt,
cumq; tenellus eheu! flosculus, summâq; spei undecē-
nis puer, **ERNESTUS FRIDERICUS DÖBELIUS**,
Optimi Parentis optimus Filius, opinione citiûs flac-
cescit atq; emoritur, nunc meminimus. O fluxa cadu-
câq; omnia! quis credidisset? Ernestulus hicce ipsâ
Parascheve Paschali â Dn. Parente suo ad Nos missus,
integerrima adhuc valetudine præditus, nobis domi
nostræ adest, imò Feria II. Paschatos vegeto & incolumi-
s, ex Æde sacrâ reversus, ædes paternas ingreditur,
secundoq; post die, cum morbo morteq; colluctatur.
Doceat igitur nos hicce flosculus, non minûs nos esse
flosculos: *DOMINE, doce nos numerare dies nostros, ut ap-
plicemq; cor ad sapientiam!* Ps. 90. **FELIX QUIDISCIT,
SE QVOQ; POSSE MORI!** Quantû autem Vulnus
Charissimis ejus Parentibus, eorumq; cordi inflatum
fuisse nunc arbitramur? Ante vertentem annum tria
liberorum, â bonitatis parente, **DEO**, ipsis donata paria,
lecto jacebant affixa, unicâq; ex his, trimestris, adeo-
q; minima natu filiola, **ANNA ELISABETHA**, reliquis
feli-

feliciter restitutus, cedebat fato: nunc Patris delictum,
Matrisq; voluptas, filius natu maximus, annorū, tri-
bus mensibus minus, undecim, ceteris domesticorum
DEI gratiā salvus, vitæ huic valedicit. Certè parentum
affectum, ferrò magis ferrei, ex propriā mœstissimi
Parentis, in literis ad Nos datis, confessione, exuerēt,
& Marpesia planè cautes forent, nī luctæ filii sui, citra
ullum doloris sensum, nec nisi anxio cordis suspirio su-
peratam vehementiā penitiùs secum revolventes, ca-
sui huic illacrumarentur. Apage enim tantā cordis, ut
lacrumari nefas ducat, Viróq; indignas esse lacrimas
dicat, duritiem! Flevit ad Jonathanis sui obitum, Vir
juxta DEI cor, Jessæus ille Heros, David; ipséq; lætitiæ
fons, Servator noster, ad amici Lazari tumulum fudit
lacrimas: quūq; dici vix possit, quantum temperandæ
doloris acerbitati una sæpe vel altera lacrumarum,
profusa guttula profit, meritò Ejus, qui nobis in exē-
plum datus est, exemplum lacrumando sequimur.
Fortassis etiam, ut fit, de inverso turbatoq; naturæ or-
dine, quòd præmittant, quem quidē, si summo rerū
Directori placuisset, libenter præcessissent, quereren-
tur: Verum enim verò, qui vivus, magis mortis, quàm
vitæ erat, quiq; nunc mortuus, vitæ magis, quàm mor-
tis, imò solius vitæ est, optumā cum gratiā, & citra
questum, præmittitur: jam etenim felicissimus est æ-
ternitatis Candidatulus, dumq; proximò, à SS. Resur-
rectionis festivitate, die, corporis solutus vinculis, cum
Servatore suo à morte surrexit, sublimi ferit nunc
sidera

sidera vertice. Quid? quòd ex jam laudatâ Epistolâ cum insigni admiratione animadvertamus, Dn. Parentem de hoc adeò non queri, ut publicam potiùs hanc domus suæ mutationem in privatam utilitatem convertens, ab immoderato luctu sibi prudens temperet, & carnis affectæ impetum frenando, in mediis lacrimis, in sufficientissimo DEI sui solamine, debitâ animi promptitudine atq; veneratione acquiescat. Quâ Christianum quæso hoc est! *Paganorum olim erat (recito verba Epistolæ) ad latorum; Christiani hodie est, ad tristium perceptionē latari, & gratias agere, si unquâ verè tristia homini accidere Christiano possint, neq; adversò eū calamitates tantum valant, quantum adversò solem nebula valent. Strenuè hauriebat dubium sibi redditum Philippi poculum Alexander, Orientis Victor, Medicum intuendo: què ergo non amarum quidem, sed salubre è dulci Dei manni poculum admittat, mundum victurus? Ad nunciatam filij mortem alius regerebat, se mortalem genuisse: & ego rectiq; mihi de filio gratulor primogenito, jã immortali. Adeò verò primogenitura & holocaustum DEO placet, ut primogenitum quoq; suum, atq; unigenitum Filium in arâ crucis, charitatis igne tradiderit cremandum: & quidni primogenitum meum nutui Ejus ultrò concedam, à quo aeternæ primogenitura & gratiam omnes fidelium habemus expectandam? Timanthis est, ad filij obitum parentis vultum velare; Timothei est, ad filii abitum oculos ad cælum elevare. Video jam, licet per angustas fidei vias obscure videam, angustam ERNESTI mei animam, in Patris sui regno,*
instar

instar fulgentem, terq; predicans, quaterq; milliesq; beatã,
quã nō vitæ quidem suæ, sed Servatoris sui innocentia, fideq;
intaminatã tam præclarũ, tam citum cœli patrociniũ sit
consecuta, ut Beatorum inter astra possit micare. En ple-
nissima affectuũ verba, & paternò amore tinctum de-
libutumq; calamum! Sed ut laudabili consuetudini lira-
turi, de piẽ functi nostri honestissimis natalibus, vitã
qve, ut ut brevi, laudabili tamen, non nihil afferamus:
natus is ipse est Rostochii, d. xx. Junij, An. MDCLXVII.
Pater illi est, Vir Nobiliss., Experientiss., atq; Excellen-
tiss. Dn. JOHANNES JACOBUS DÖBELIUS, Med.
D. & P. P. celeberr., Poliater Graviss., & Fac. Med. p. t.
DECANUS, Dn. COLLEGA atq; Fautor noster longẽ Ho-
rariss.: *Mater* verò, Nobilissima, omnibusq; virtuti-
bus decoratissima Femina, ANNA ELISABETHA
ab HILLEN. *Avum paternum* habuit Virum pl. Rev.
atq; Clariss. Dn. JACOBUM DÖBELIUM, Symmistã
qvondã apud Gedanenses optimẽ meritũ, & *Aviam*
paternam ELISABETHAM, Viri plur: Rev. & Clariss.
Dn. JOHANNIS BARTHEKII, Pastoris olim Sedin.
vigilantiss., & JUDITHÆ MULLERIÆ *Filiam*, tum
Viri Prudentiss. Dn. JOHANNIS BARTHEKII, Sena-
toris Leoburg., & ANNÆ MEJERIÆ *neptẽ*, Dni verò
JOACH. MEJERI, Seren. qvondam Ducum Pom. cir-
ca expugnatum nuper Sterinum Toparchæ, *proneptẽ*.
Proavum Paternum natus est, Vir. Perrev. & Clariss.
Dn. JOH. DÖBELIUM, in Rugia qvondã Verbi divini
Præ-

Præconem fidelis, & *Proaviam* ELISAB. STRAUS-
BERGIAM: *Abavum pat.* iridem JOH. DÖBELIUM,
Civem & Mercat. apud Greifswald. suo tempore pri-
marius, & *Abaviam pat.* MAGDAL. STILOVIAM,
feminā honestiss. Nec minùs honorata ipsius *Mater-*
na est familia: *Avus* siquidem ejus *maternus* fuit Vir
Nobiliss. atq; Consultiss. Dn. JOH. CHRISTOPH. ab
HILLEN, J. U. D. & Consistorii Ducalis, quod Rosto-
chii est, Advoc. dum viveret, & Procurator Graviss.
Aviamat. ANNA ELISABETHA, Dn. FRID. COTH-
MANNI, Jcti, & CATHARINÆ JUNGIÆ *filia*. Dni
verò ERNESTI COTHMANNI, Jcti & Cancellarii
Mecklenb., atq; ELISABETHÆ HEINS *neptis*, adeo-
que Dn. DIETER. COTHMANNI Consulis Lemgov.
& CATHARINÆ, Dn. DIETER. GROTHEN, Con-
sulis iridem Lemgov. *filix*, *proneptis*. *Proavum mat-*
er sortitus est Virum Nobil. & Consultiss. DN. JOH. ab
HILLEN, Jctū, & Sereniss. Regis Daniæ CHRISTIA-
NIIV. Gloriosæ recordationis, Saxonixq; Inferioris,
AUGUSTI Ratzeburg., beatæ memoriæ, Consiliariū
Intimum, cujus Conjux erat ELISABETHA GER-
DES, Matriona laudatiss. *Abavum Maternum* habuit
Dn. JUSTUM ab HILLEN, Civem & Mercator. Osnab-
ruggensem facillè primarius, cujus vitæ socia fuit
ADELHEIT Schröders / insigne sexus sui ornamen-
tum. Hisce adhuc superiores, qui ex LUDO-
VICI Uranix Principis, PHILIPPI II. Hispaniarum Mon-
nar-


narchæ, & CAROLI V. Romanorum Imperatoris In-
victissimi castris virtutis suæ signa splendidissima tu-
lerunt, addi, si volupe fuisset, potuissent. Ast cum
ipsa pagina contrahere vela nos jubeat, missis illis, ad
beatè FUNCTI NOSTRI laudabilem vitam, Studi-
âq; paullo accuratiùs inspicienda, calamum converti-
mus. Hic autem Adolescente Viroq; potiùs, quàm
tenellò puerò dignissima offendimus omnia. Si enim
Invidiæ pace fateri verum liceat, haud rarò Charissi-
mos Parentes suos, qui ipsimet hîc Confessores sunt,
exhilaravit intimè, quòd parum admodum, in hoc
corruptionis statu, in ipso animadverterint eorum,
quæ in ætatis ejusmodi imbecillitate vel ferri & excu-
sari solent, vel corrigi. Nam pietatis & Literaturæ fû-
damenta, vel Scripturâ etiam Sacrâ, quam tertia ferè
vice adeò perlegerat, ut caput quodcunq; plectû si-
ne ulla sæpe hæsitacione recitaret. Identidè, nec co-
actus aut invitus, sed ultro sponteq; propriâ repe-
bat, ansamq; ad pietatem exercendam sæpiculè da-
bat, ut, qui filius erat familias, subinde visus sit pa-
ter familias. Imò ultra annos sapienti nostro puero
cuncta extra aream virtutis posita, & Senibus ali-
quando non paucis salivam moventia, meræ sordes
erant. Nam integris adhuc, viribus, & corpore tenel-
lo quidem, sed bene tamen habente, non frequen-
tem tantùm mortis memoriam sibi ipse injiciebat;
verùm etiam corpusculi sui curam post fata familia-
ribus committebat. Mirâ præterea in immixtis sub-
inde

inde antehac puerilibus morbis patientiâ, nec minore in novissimâ, quâ mortalitati subtractus est, cordis anxietate, erat: auxilia quippe sibi propinata, quamlibet ea obsequii potius testandi ergo, quàm ut sibi crederet profutura, admitteret, haud respuebat, insigniorisq; signa fidei vel in agone edebat quàm luculentissima. Tam bellus mores, tam scitus formam puer, tam Parentibus obsequens filius, quicum aliquotiens non sine delectatione & admiratione Latinè collocuti sumus, quemq; expedite & Romanâ linguâ ad interrogata respondentem audivimus, mortis nunc fit spolium, & vermiû pabulum! Sed membrû Capitis Christi, quòd caput resurrexerit, aliquando reviviscet, & flosculus hic, appetente Vernali illo *ἀναψύξεως καὶ ἀποκατάστασεως* tēpore, ex pulvere suo perfectior longè, lōgèq; illustrior resurget. Ceterum, cū, cui nihil amplius in his terris sive officii sive beneficii præstari unquâ poterit, ultimum pietatis affectû, à Nobis nunc desiderat. Proinde VOS, CIVES ACADEMICI, quia fas est humanitate, ut honorificâ vestrâ præsentia deductionem funeris splendidiorem frequentiorèq; reddere, Excellentissimumque Parentem de Academia nostrâ quàm optimè meritû, eo ipso in lectu suo solari velitis, obnixissimè in præsens rogamini,

*P. P. Sub Sigillo RECTORATUS d. 9. Aprilis
A. O. R. CIO IDC LXXIIX.*



narchæ, & CAROLI V. Romanoru
victissimi castris virtutis suæ signa
lerunt, addi, si volupe fuisset, pot
ipsa pagina contrahere vela nos jul
beatè **FUNCTI NOSTRI** laudabi
âq; paullo accuratiùs inspicienda, ca
mus. Hic autem Adolescente Vir
tenellô puerô dignissima offendimu
Invidiæ pace fateri verum liceat, h
mos Parentes suos, qui ipsimet hîc
exhilaravit intimè, quòd parum a
corruptionis statu, in ipso animad
quæ in ætatis ejusmodi imbecillitat
fari solent, vel corrigi. Nam pietatis
damenta, vel Scripturâ etiam Sacrà
vice adeò perlegerat, ut caput quod
ne ulla sæpe hæsitacione recitaret.
actus aut invitus, sed ultro sponte
bat, an famq; ad pietatem exercen
bat, ut, qui filius erat familias, su
ter familias. Imò ultra annos sapi
cuncta extra aream virtutis positi
quando non paucis salivam mover
erant. Nam integris adhuc, viribus
lo quidem, sed bene tamen haberi
tem tantum mortis memoriam si
verum etiam corpusculi sui curam
ribus committebat, Mirâ præter



oris In-
ima tu-
st cum
illis, ad
Studi-
nverti-
quàm
Si enim
harissi-
es sunt,
in hoc
eorum,
& excu-
uræ fū-
tia ferè
lectū si-
nec co-
repete-
culè da-
s sit pa-
o puero
bus ali-
e sordes
e tenel-
requen-
iciebat;
familia-
illis sub-
inde